



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

Assumptio B. Mariæ Virg. 15. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

396 VITÆ SANCTORVM. 15.Aug.
pridie VIRGINIS ASSUMPTÆ; quam num amaret
rogatus, quid ni, inquietabat, MARIAM amem ma-
trem meam? ita enim eam appellitabat novos sem-
per de illâ titulos & magnifica verba excogitans.
Utique igitur MARIA mater STANISLAI, sed &
filius STANISLAVS MARIAE fuit. Utinam plures
fratres numeraret! Ex Franc. Sacchino.

Panem cælestem spiritualiter manducate, innocen-
tiam ad altare portate. Mentiri Deo potes, Deum fallere
non potes; novit ille quid agas: intus te videt, intus te
examinat, intus inspicit, intus judicat, aut damnat, aut
coronat. S.Aug. tract. 26. super Joann.

ASSUMPTIO B. MARIAE VIRG. 15. Augusti.

AGe pena, quid humi repis, dum VIRGINEM
laudas? altius vola, & supra cælos laudibus
hodie merentem tolle. Sequimini Sodales, si ger-
mani MARIAE pulli estis. Crescebant, & oculos
cæli multum delectabant primi Ecclesiæ flosculi,
cum hos è cælo filius, in terris MATER foveret.
Sed denique ille matrem terris, hæc filium cælis
invidebat. Ergo igitur iterum boni nuntii bajulus
Gabriel adest, & ad suavissimum mortis somnum
invitat. Adsunt interim divino nutu, qui toto or-
be divisi erant Apostoli, & lectulum abiturientis
ambiunt. Cerneret pro virgine certantem cum
cælo terram. Hinc filii lacrimis retinent, & am-
plexu morantur; illinc suavissimi Cælitum mo-
duli animam beatam prolixiunt, trahuntque ah!
sponte properantem. Suscipit proinde matrem
filius, sinumque pro sinu rependens illuc eve-
hit, unde unum illa Deum suspicit, alia omnia
despicit. Solabatur terra luctus suos opimo
spolio,

spolio, corpusculo Virgineo, sed etiam hoc brevi spolianda. Etenim cùm, ita Numine volente, se-riùs è XII. proceribus Thomas advenisset, & amis-sam Matrem etiam in tumulo mæstus quæreret, præter lintea, tam magni thesauri nuper involu-
cra, nihil reperit; quòd cælum etiam Corpus sub-duxisset. Ah liceat amplexis pedes, & in hederæ morem alligatis dicere; Nunc, si terram nauseas,
Virgo, Scande Cælum. Ex Brev. Rom. &c.

*Præcessit nos Reginæ nostra, præcessit, & tam glorio-
sè suscepta est, ut fiducialiter sequantur Dominam ser-
vuli clamantes, trahe nos post te; in odore unguentorum
tuorum curremus. S. Bern. serm. i. de Ass. B.M.V.*

S. ARNULPHUS EP. 16. Augusti.

SÆPÈ matres & viva filiorum funera malè ri-
dent & malè lugent mortua; id quod ARNVL-
PHI etiam mater primò factitabat, dum quem pri-
mum enixa est filium, spem unicam familiæ, sed
morte intempestivâ sublatum non posse deflere
satis sibi videbatur. Sed monuit bonus Genius
æquo animo ferret, quod non posset non ferre;
qui maximè oculis arriderent flores, hos primos
carpi. Non invideret filio Cæli contubernium, in
omnia vitia, si porrò ivisset, atque adeò latronum
societatem abripiendo. Potius nascituri alterius fi-
lli spe animum erigeret, qui vitæ sanctioris famâ
orbem esset impleturus. Atque hic ARNVLPHVS
noster fuit, aulam primò & militiam, tum mona-
sticen secutus, eo semper vitæ tenore, ut dubium
pænè fecerit, sanctiōne miles an monachus fue-
rit. Ex hoc Abbas, ex Abate Pontifex Sueßione
ita se gessit, ut extremūm ægro ter concussum cu-
bicum ter spectaculum objecerit jucundissimum

R. 7

mo-